

& cædunt januam Saxis, minas & probra ingerunt, ægrè ab expugnatione ædium abstinentes. Rector ità per tres horas domi inclusus & obsessus intus trepidare, & literis iterum missis ad principes referre, quid tumultus fieret, culpam hujus turbæ omnem Juris studiosis, eorumque Dd. delegare; quod hi nullis Academiae legibus se teneri dicerent, aliosque ad dicto parendum intentiones præ se contemnerent, qui contumeliæ impatientes, eandem deinde omnium Jure æquato licentiam quærerent. Univerforum itaque jam irritatis animis, eò rem rediisse, ut projecto magistratus scholastici imperio tantâ pertinaciâ edictis suis neque vinci, neque ira furentium sustineri possit amplius. Orare itaque se, ut principes ipsi accelerent, tumultuantes sua autoritate atque præsentia compefscant, & effrenatam licentiam comprimant. Ad has responsum Rectori redditur, Principes ad mercatum autumnalem, qui tùm instabat, Lipsiæ adfuturos, Quod si id facere impedirentur, Consiliarios suos, viros graves allegaturos esse ad rem inspiciendam, qui quod justum esset, statuerent. Interea ne quid turbarum imposterum scholastici moveant, & quie-